



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

X. Negotium illud pacis consummavit Theodosius, missa ad Damasum illustri legatione, ut ei significaret ordinationem Nectarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Theodosium rescripserint nihil habuisse se in quo de episcopatu ejus dubitare possent, eum etiam vim sibi repugnanti a plerisque etiam de populo & clero testatus esset illam; neque aliter redintegrari posse concordiam inter occidentales & orientales, quæ propter hanc causam soluta & dissociata fuerat, quam si posthabita & cassata Nectarii ordinatione, Maximus, utpote prior ordinatus, sedi Constantinopolitana redderetur; si verò obtineri id non posset, certè causa utriusque coram Damaso retractaretur in synodo Romana, ad quam Episcopi ex Occidente & Oriente convenirent.

VII. Huic Concilio Aquileiensi præfuisse Ambrosium Episcopum Mediolanensem vetera illorum temporum monumenta probant. Auctor verò Synodici addit Acholium quoque Thessalonicensem synodi præsidem unà cum Ambrosio fuisse; cum tamen ille neque in epistolis synodicis nominatus invenitur, neque in Actis quæ nunc extant ejusdem Concilij. Ex eo tamen synodici loco viri clarissimi Lucas Holstenius & Petrus Franciscus Chiffletius collegerunt Acholium Damasi Legatum fuisse in Concilio Aquileiensi, eo nimirum argumento persuasi, quòd synodo Aquileiensi, quæ in Italia cogebatur extra Diocesim Illyricianam, interesse non potuerit nisi sub umbra legationis apostolicæ sedis. Ego verò fateor valde dubitare me an Acholius præfens fuerit in Concilio Aquileiensi. Ceterum huic interfuisse potuit etiam ut Episcopus Thessalonicensis, utpote unus Episcoporum Occidentis, adeo ut opus non sit recurrere ad vices Damasi. Immo Legatum ejus illuc non fuisse vel ex eo colligerem (tametsi concederem illum interfuisse synodo) quòd primum ubique locum obtinet Ambrosius in epistolis synodicis, in quibus Acholius ne nominatur quidem, quod est omnino infra dignitatem ejus qui Vicarius esset Romani Pontificis. Nunc ad causam Maximi & Nectarii revertamur.

VIII. Imperialibus itaque literis, ut Hieronymus ait, Romam ob disensionem Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Ecclesiarum contractis Orientis & Occidentis Episcopis anno CCCLXXXII. adfuit etiam Acholius, unus videlicet occidentalium; orientales verò Constantinopoli substituerunt, tametsi & Imperatorum rescriptis & occidentalibus Concilij literis Romam evocati fuissent. His literis occidentales, ut ex orientalium epistola colligitur, hortabantur orientales ad pacem Ecclesiarum, nominatim agentes de ordinatione Nectarii, cujus causam in synodo Romana retractandam

esse contendeabant juxta postulata prioris synodi. Adfueritne Maximus, annon, a nemine traditum invenio. Probabile tamen est adfuisse in synodo quæ propter eum celebrabatur, & quam Episcopi Italiae, gratificari ei cupientes, ab Imperatoribus congregari petiverant, præsertim eum ipse averfos à se videns animos Episcoporum orientalium ac Theodosij Augusti, quorum studia ad Nectarium conversa erant, in Italiam se contulisset, ut causam in synodo ageret suam, quemadmodum loquuntur Episcopi Concilij Italici ad Theodosium. Vt cunque se res habeat, certum est causam Maximi tristes exitus habuisse, melioremque fuisse Nectarii conditionem.

IX. Rediit deinde Ecclesiis concordia post scriptam ab orientalibus epistolam ad Damasum Papam & ad synodum Romanam, quæ extat apud Theodoretum, in qua jure factam Nectarii ordinationem pertinacissimè, licet verbis perquam modestis, affirmabant. Nam hæc omnino sunt verba eorum: *De administrationibus autem quæ sunt cujusque Ecclesie proprie, cum vetus, uti nostis, lex est, tum sanctorum patrum in Nicæno Concilio deciso, ut videlicet singularum provinciarum antistites, unà cum finitimis, modo ipsis ita visum fuerit, Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent. Ex cujus legis & definitionis præscripto scitote tum aliis quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos. Unde Ecclesia Constantinopolitana recens, ut ita dicam, edificata, quamque ex hereticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripimus, reverendissimum sanctissimumque Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsentis Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique Cleri totiusque civitatis suffragiis, Episcopum constituimus. Et infra: Quibus rebus tanquam legitime & secundum Ecclesie canones constitutis obsecramus vestram reverentiam uti congratuletur, spiritali caritate nos mutuo devinciente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimat, Ecclesiarumque edificationem amori illi & benevolentie, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponit.*

X. Negotium illud pacis & concordie prudenti usus consilio consummavit Theodosius Imperator, missa ad Damasum illustri legatione, ut ei significaret ordinationem Nectarii, quæ communi omnium consensu sub præsentia Principis & Concilij generalis peracta fuerat, utque formatam, id est, literas communicatorias, pacis symbolum, ab eo ad Nectarium mitti secundum morem debere insinaret. Memoriam tantæ rei de-

Theodoret. lib. 5.
lib. eccles. cap. 24

Vide infra lib. 74
c. 4. §. 10.

Apud Holsten.
Pag. 77.

beremus Bonifacio I. cujus hæc sunt verba ex epistola ad Episcopos Illyrios: *Clementissime recordationis Princeps Theodosius Nectarij ordinationem; propterea quia in nostra (id est, ejus Pontificis qui tum apostolicæ fedi præsidebat, Damasi nimirum) nomine non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo aulicis cum Episcopis formatam huic à sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret.* Tunc verò fractæ sunt graves illæ Concilij Italici minæ de quibus paulò antè dicebamus; pacatòque Damaso, pacata etiam est Italia. Valuit itaque ordinatio Nectarij.

XI. Sed ut ad id revertamur quod de Acholio verè dicebamus, nimirum eum non tenuisse locum Damasi in secunda synodo œcumenica, hinc etiam valida istius rei probatio peti potest, quòd (ut supra illustrissimus Archiepiscopus observavit tanquam rem positam extra omnem controversiam) certum sit eam synodum nullis ornatam fuisse Romanæ Ecclesiæ Legatis. Vnde & Holstenius adnotat eam, quòd absque auctoritate Damasi habita fuerit, pro generali habitam non fuisse ab Ecclesia Romana, quæ nunquam ejus acta probavit. Quanquam si quis heic cum Holstenio contendere veller, opponere illi posset auctoritatem Photij, qui in libro de Synodis adnotat Damasum confirmasse secundam synodum œcumenicam. *Quibus hand multò post, inquit, & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit.* Vnde & illustrissimus Cardinalis Baronius observat in annalibus ecclesiasticis hoc Concilium auctoritate Damasi obtinuisse nomen œcumenici Concilij. Nam & Papa Vigilius in epistolis ad Iustinianum Imp. & ad Menam Episcopum C. P. item in encyclica ad universam Ecclesiam, in qua exponit causas secessus sui ad sanctam Euphemiam, & quid ibi egerit cum Legatis Iustiniani, confessionem fidei suæ interferens, sanctam synodum Constantinopolitanam c. l. patrum numerat inter quatuor œcumenicas sive generales, exemplum prædecessoris sui Gelasij secutus. Pelagius quoque secundus confessionem fidei suæ mittens universo populo Dei, ita loquitur: *De sanctis verò quatuor Conciliis, id est, Nicæno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente divina misericordia sensisse & usque ad terminum vite meæ sentire toto animo & tota virtute profiteor, ut eas in sanctæ fidei defensione & damnationibus heresum atque hereticorum, utpote sancto firmatas Spiritu, omnimoda devotione custodiam.* Et paulò post: *Similem igitur*

Vide supra hoc lib.
s. cap. 4. §. 3.

Holsten. in Notis
ad Concil. Rom.
sub Bonif. II.
Pag. 140.

Baron. ad an. 381.

Exat in Appendice
Cod. Theodof.
Pag. 219.

Gelas. I. in Decreto
de libris apocryphis.

suprascriptis synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido. Et in epistola ad Childebertum Regem Francorum: *Definitiones quoque de eadem catholica fide quæ in quatuor sanctis Conciliis statuta sunt, sed & memorati Pontificis, id est, Leonis primi, quas universalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos cum Dei auxilio tenere atque defendere presenti ad excellentiam vestram conloquio intimandum necessario judicavi.*

XII. Decessoris sui Pelagij vestigia premeus Gregorius istius nominis primus, cui deinde Magno cognomen hæsit, proficitur alicubi se sancta quatuor Concilia, in quibus Constantinopolitanum istud secundo loco ponit, suscipere & venerari sicut sancti evangelij quatuor libros. Longum esset ire per singulos. Sed tamen prætermitti non debet testimonium Nicolai I. qui ad Michaelem Imperatorem scripsit sanctam secundam synodum apostolicæ sedis auctoritate fultam, Nectarij ordinationem in Ecclesia Constantinopolitana fieri decrevisse: *Et idcirco, inquit, bene & optime sancta secunde synodo apostolicæ sedis auctoritate fulta ita de Nectario placuisse testamur.* Adferri quoque hoc loco debet testimonium Innocentij III. qui ad Hubaldum Episcopum Faventinum in Archiepiscopum Ravennatensem electum scribens anno MCCCVIII. IV. Idus Februarij, antiquorum Pontificum prædecessorum suorum placitis inherens, ita loquitur de Concilio isto Constantinopolitano; licet in facti specie lapsus sit, decretum Photiani Concilij tribuens secundæ synodo œcumenicæ. *Vnde contra dictum Concilium, inquit, cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia catholica Ecclesia veneratur, nullatenus videbatur eadem postulatio admittenda.*

XIII. Scio tamen adversus hæc posse reponi Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in hoc Concilio Constantinopolitano, ceterum canones illic conditos rejecisse, juxta testimonium ejusdem sancti Gregorij, qui hæc ad Eulogium Episcopum Alexandrinum & Anastasium Antiochenum scribit: *Et canones quidem Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eisdem canones vel gesta synodi illius hæcenus non habet nec accepit; in hoc autem eandem synodum suscepit quod est per eam contra Macedonium definitum.*

XIV. Testimonium illud sancti Gregorij magnæ esse constat auctoritatis. Non video tamen quomodo convenire ei possit cum ceteris Pontificibus, qui profitentur absque ulla exceptione damnare se hæreses & hære-

1. Greg. I. Epist. 14.

Nicol. I. Epist. 14.

Innoc. III. Epist. 14.

Concil. 7. 14. 15. 16.

Vide supra lib. 3. cap. 4.

1. Greg. I. Epist. 14.